



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 73. Bellum a Calvinistis in Francia continuatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Ast nihil efficiebatur apud armatum, victoremque Albæ Ducem, qui ad hæc rationes flecti haud poterat, unde Proceres ad pendendam decimam, & vigesimam partem metu adigebantur, Geldrienses tamen, & Frisii centesimam pecunia exsoluta redemerunt: cum vero grande æs ad redimendam eandem ceteris provinciis imperatum esset, exortæ rursus sunt novæ difficultates, pro quantâ nimirum parte singulæ provinciæ in tributum venirent: quocirca ex omnibus hisce altercationibus progressu temporis novi exoriebantur tumultus.

Sæcul. XVI.
A. C. 1569.

§. LXXIII.

Bellum a Calvinistis in Francia continuatum.

Interea Calvinistæ in Galliis bellum contra suum Principem, ac Regem semper continuato furore prosequabantur, & jamjam Mense Januario hoc anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono urbem, vulgo Sancti Michaelis in Eremo dictam, quæ ad maritimam oram in Pictavia erat extructa, occupabant, illiusque monasterium, atque Ecclesiam funditus evertabant: equidem Regis copiæ Sanceras recuperare tentabant, irrito tamen successu, cum urbs a rebellibus jam occupata esset. Postea Jacobus Sabaudus Nemor-

*Tiv. l. 45.
p. 564.
Dupleix hist.
de France t.
3. p. 739.
La Popel.
l. 15.*

Sæcul. XVI. A.C 1569. fii Dux ad Regis castra venerat, una cum copiis, quas ex Lugdunensi, vicinisque Provinciis contraxerat, illumque comitabatur Adretius Baro, qui bellis superioribus diu antea Protestantium partes secutus, innumeras fere crudelitates exercebat, nunc vero ad Regis castra transvolabat: porro Sabaudus in Lotharingiam ad Aumalium, prout a Rege propediem illuc quoque profecturo jubebatur, contendit: interea vero Calvinistæ Lufinianum in Pictavia, Dieppam in Normania, & Gratix Portum frustraneo conatu occupare moliebantur: insuper in Normania tempellive detegebatur conjuratio, cujus Authores per sententiam a Rothomagensi senatu pronuntiatam extremo supplicio affecti perierunt.

§. LXXIV.

Andegavensis Dux Calvinistas invadens.

Thu. l. 45.
p. 567.

Post hæc Andegavensis Dux facto per Pictones, Lemovices, & Engolismensem agrum itinere Carantoni oram legebat, quasi Castrum-novum occupaturus, ut se medium inter Piliam cum auxiliaribus copiis advenientem, & Condæum interponeret, quem ut anteverteret Condæus Princeps, Carantono flumine ad Cognacum transmissis re-